



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 14. Hi Articuli minus benigne accepti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

ve pro nutu positi competentem vivendi por-
tionem assequantur; Episcopi vero singulo
saltem anno Synodum Diocesanam celebrent,
Et decreta ibidem statuenda observari curent.
Postremus hic articulus potissimum Me-
tropolitans concernebat, quibus injun-
ctum, ut in hisce Synodis & Conciliis Pro-
vincialibus diligenter attendant, si statuta
præsents Conventus Ratisbonensis observen-
tur, invocato ad hoc, si opus fuerit, bra-
chio seculari.

Sæcul. XVI.
A.C. 1524.

§. XIV.

Hi Articuli minus benigne accepti.

Harum sanctionum publicatio Princi-
pes æque ac Episcopos offendebat,
nec illi assensu suo in comitiis accedere
volebant: ægre enim ferebant, statu-
tum quoddam pro univèrsa Germania
a Cardinale, tamque paucis Principi-
bus condi, præcipue, postquam illum
admonuissent, ex ejusmodi decretis nil
boni sperandum. Præterea ipsis permo-
lestum accidit, quod tam exiguus Præ-
sulum ac Principum numerus invitis ce-
teris omnibus totam Nationem obligan-
di auctoritatem sibi arrogare velit. Non
decerant etiam, qui dicebant, quod Le-
gatus rebus nullius ferme momenti in-
titerit, maximi vero ponderis res, qua-
rum emendatio potissimum necessaria fo-
ret,

ret,

Sæcul. XVI
A.C. 1524

ret, silentio prefferit, cum ejusmodi onera non a Clericis inferioris Ordinis, sed ab Episcopis per eorum usurpationes, & vel maxime a Curia Romana per assiduas illius oppressiones Germania patiatur, hasce vero corruptelas, quæ haud ultra tolerandæ forent, a Legato agebant, tam leviter fuisse perstrictas, perinde acsi Præsules nunc magis, quam in primitiva Ecclesia disciplinæ studiofi forent; insuper eidem objiciebant, quod cuncta, quæ in suis articulis emendanda censuit, ab eo nonnisi pro levibus abusibus habita fuerint, ac proin cetera omnia tacite comprobans aliunde nonnisi hosce abusus indicaverit, nullatenus vero remedium oppido necessarium eisdem adhibere fuerit intentus. Quapropter hi Principes non sine indignatione conventum suum Norimbergæ solverunt.

§. XV.

Norimbergense decretum a Cæsare reprobatum.

Non minus Cæsari displicuit decretum, quod ceteri Principes in comitiis Norimbergensibus promulgarunt; vix enim illud perlegerat, cum gravissimis literis ad Principes datis indignationem suam maximam testaretur; verebatur enim, ne Papa ei vel ex omni, vel saltem